

45

1687

B

Q. D. B. V.

DISSERTATIO

De

ELOQUENTIA
IN TACENDO.

Quam

PRÆSIDE

DAN. GEORGIO MORHO-

FIO, D. Eloq. & Histor. Prof. Fa-
cult. suæ hodie Decano.

1956

*Patrono ac Hospite omni observantia cultu
colendo.*

IN ACADEMIA HOLSATORUM,

quæ Kiloni est,


CHRISTIAN-ALBERTINA.

placide συμφιλολογησάντων disquisitioni

d. Januar. subjiciet

ANTONIUS HARDUICI,

SS. Theol. Stud.



Kiloni,

Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

Anno 1687.





DE ELOQUENTIA IN TACENDO.

I.



Uemadmodum sermone à brutis, ita & cogitabundo illo silentio ab iis distinguimur, cujus magistrum esse Deum, ut loquendi homines, veteres ajebant. Prima scilicet *παιδεία* tum scholastica, tum civilis ratio, Pythagoræ & Lycurgo in linguâ cohibendâ consistere credebatur, ut maturè juvenes, ne in scopulos impingerent, *ἢ πρὸς* illa *ἡσέγγεντα* à cursu revocare; & velut navem à ventis abreptam anchoris firmare discerent, nec Pisoniano illo vitio, quod loqui nesciant & tacere non possint, laborarent. Ipse Musarum eloquentiæ Parens Apollo ob sermonis parfimoniam *Μούσας* dictus, & Numa unam è Musarum ordine sub Tacitæ nomine coli voluit. Quo admonemur, *Μοιροῦς* illos & loquaculos longius à Musarum, sacris abesse, quam prudentes illos Silentarios. Lepida est illius ex Helleponto amatoris historia, cujus *Cæl. Rhodig. L. A. lib. 21. c. 46.* meminit. Quem cum loquaciorem agrè ferret mulier, hoc cavillo percussit, quod ex Helleponto veniens primarum tamen ejus urbem, quæ à tacendo nomē habet, Sigæum, ignoraret. Adeò multi etiam inter eruditos sunt, qui cum orbem omnem disciplinarum percurrerunt, unam tamen il-



Iam urbem nunquam viderunt. Id verò mirum alicui videri posset, cum ad ceteras disciplinas, quæ meditatione tacitâ & diurnâ potius, quam verbis constant, silentium commendatur; ipsam etiam eloquentiæ artem, quæ in verbis tota habitat, præcipuum ex illo decus assumere. Quæ enim Peitho & Angerona inter se habent commercia, aliquis dixerit? Sed verissimum, tamen esse docebimus, plus oratoriæ artis esse in eò, quod non dicitur, quam illo, quod verbis ac sermone, comprehenditur. Ne itaq; in inscriptione hujus Dissertationis inaniter *ἡσυχία*, aut *ὀλιγολογία* aliquod de industria quævisse videamur, vel ipse loquendi magister Cicero hoc de suo nobis largitus est, qui ab Atticum lib. XIII. Ep. 40. scribens, ita ait: *Hoc loco sumpsi aliquid de tua eloquentiâ, nam tacui.* Cui geminum est, quod adfert Plinius lib. 7. Ep. 6. *Non minus interdum oratorum est tacere, quam dicere.*

II. Ut verò statim initio omnem dubitandi occasionem præscindamus, sciendum est, nos per illam in tacendo eloquentiam, non illam intelligere, quæ *muta* alias vocari solet, quæque gestibus & actione ita exprimit animi cogitata, ut sine ullius verbi prolatione, sive argumenta illa sint, sive figuræ, intelligi possint. Nam veteribus eam artem ad stuporem fuisse excultam, ignorare nos non sinit historia; quam propemodum in cælum effert laudibus Isaacus Vossius lib. de viribus rhythmici p. 66. ubi *pulsa tot linguarum peste & confusione, unam hanc artem præ ceteris extolendam existimat, feliciora hominibus animalia, que vulgò, ut ait, bruta, creduntur, iudicans, quo promptius & feliciter sensus suos & cogitationes exprimant, quàm ulli queant mortales.* Quâ asser-
tione

tione infra brutorum fortem detrudimur, quæ fortasse, si ipsius philosophiam audimus, ad spirituum naturam eò accedunt propius, quo brevius & expeditius, si qua habent, sensa exponunt. Quemadmodum enim homines per verborum ambages, ita bruta per signa quædam naturalia affectus suos exponunt, ut Spiritus cogitationes suas sine ullis signis organicis ac per se ipsos patefaciant, quarum apud nos non conceptus, sed expeditio, per externa illa signa corporea laboriosa est. Unde vel apud Barbaros fuerunt, qui varia sermonis compendia tam in sermone, quam in scripturâ commenti sunt, ut apud Canadenses, qui unâ voce integras ac prolixiores sententias efferre potuerunt, quam linguam illi *Icarete*, i. e. linguam mutam appellant, teste *Patre le Jeune in Historiâ novæ Franciæ*: & apud Ægyptios, Chienses & Peruvianos, qui hieroglyphicis literis plus significabant, quam loqui poterant. Ne quid dicam de Arte illâ, qua per digitorum varios flexus formato alphabeto, aliqui loquuntur, cujus amorum magister Ovidius meminît, vel qua per pulsus parietum rhythmicos, se non videntes intra carceris tenebras sibi animi sensa significant, de qua extat epigramma Hispanicum Thomæ de Pinedo comm. in Steph. de urbibus ad vocem *Ασκησις*, p. 128. Cæterum illa gestuum ars, quam Græci *Χωροεπιμνησις*, Latini histrionicam vocabant, adeo exulta antiquis fuit, ut cum Cicerone Roscius histrio decertaverit, uter pluribus modis eandem sententiam variaret, prior verbis? alter figuratis gestibus? Illa verò præcipuè in manibus oculisque consistebat. De manu, quam alteram linguam nonnulli dixerunt & Ægyptii sub linguâ, ad absolutæ persuasionis

imaginem efformandam, depingebant, Quintil. lib. II. c. 3. *Manus ipsam pene verborum copiam persequuntur.*
 Apud Cassiodorum variar. lib. 2. epist. 40. hanc Muficam mutam vocavit Theodoricus Italiae Rex: *qua ore clauso manibus loquitur & quibusdam gestulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua aut descriptione texturâ possit agnosci.* De Apollonio Philostratus lib. 1. de vita Apollonii cap. 9. refert, quod Pamphiliam atque Ciciliam, seditione laborantes, solâ manu tacitâ oratione composuerit. Et si Artus Thomas *comment. Gallico* in hunc locum, non tam manuum motu, quam novitate rei & aspectu hujus hominis, quem pro Deo habebant, ad silentium fuisse compulsas existimat. Chiromantiam hanc oratoriam vocat Augustinus Mascardus in *Dissertationibus Romanis Dissert. 7.* ubi plura super illo argumento. Chironomos appellat Quintilianus & Juvenalis, qui hâc arte uterentur: quique in universâ illâ excellebant, Pantomimi vocabantur, qualem pro maximo munere à Nerone obtinuit Tiridates Ponti Rex, referente Luciano in scripto de Saltatione. De oculorum in eloquentiâ animandâ & in animi affectibus exprimendis efficaciam legas licet L. Crassum apud Cic. lib. 3. de Oratore. De utrisque elegantissima sunt, quæ Cresollus vocat. *autumnal. lib. 2. c. 4. & 9.* congeffit. Qui Vir doctissimus in præclaro hoc opere accuratiora Physiognomiæ, ex ipso illô τὴν φυσιογνωμίαν, qui ex historicis, Orationibus, Poëtis elucet, lineamenta duxit, quam omnibus canonibus suis Physiognomi. Verum sepulta nunc cum veterum eloquentia ipsâ quoque hæc ars histrionica est, nisi quod apud Anglos quidam *Jobannes Bulwer* figuracionem manuum singulari libro,

7.
libro, & Itali quidam illam Signorum doctrinam proponere voluerunt, Verum ad *ἀνεπίστατον* & perfectionem illam veterum ille labor non assurgit.

III. Mistâ itaque illa eloquentia mutâ ad nostram illam in *facendo Eloquentiam* nos convertimus, quâ nihil aliud significamus, quâm *Prudentiam illam Oratoris*, quâ *id solum, quod in oratione ἐπισημασθὲν est, exprimit, ea verò, quæ vel circa inventionem, vel circa elocutionem πρὸς ἑσέα sunt, aut superflua; ab argumento, personis, loco, tempore, re aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta esse cupit.* Unde patet tam latè hanc patere Differtationem, quâm ipsa patet eloquentiæ ars. Si enim Rhetorica ars est, quæ contemplatur, illa, quæ ad persuadendum apta sunt, omnia quæ inepta sunt, in omni dicendi genere excludit; si omnis eloquentiæ vis in delectu argumentorum & verborum consistit; satis patet, illa, quæ abundant, aut temerè proferuntur, esse in vitio. *In omnibus* (ait Cicero lib. de claris Orationibus) *videndum quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum; Nam ut μακρόβανος illa inter signa immoderati animi & impudentis est; ita defectus moderationis quidam temperantiæque character est, qui propius à vitio abest, quâm ille excessus, imò virtuti propior est.* Quare cum teste Quintiliano lib. 2. cap. 13. *multò labore, assiduo studio, variâ exercitatione, pluribus experimentis, altissimâ prudentiâ, presentissimo consilio vis dicendi constet; in id sollicitè inquirendum est, quid in oratione dissimulandum sit, quid prudenter tacendum, ne, quemadmodum,*

percutta malignè
Respondet viridi non coctâ fidelia limo

IIIa

illa suo se iudicio prodatur, & ineptum omni ex parte oratorem ostendat.

IV. Non officit huic eloquentiæ nostræ copia, & sermonis amplificatio, quæ in oratione necessaria est. Et si enim teste Cicerone, eloquentia est copiosè loquens sapientia, amplificatiorem augeat & majorem argumentis & verbis, efficere studet; tamen nihil hic nimium est, cui suus quidem modus ex ipsâ arte est præscriptus. Neque enim hæc copia est, quæ infinite vagatur, sed quæ orationi quandam plenitudinem, & soliditatem inducit, sine qua maciem illam, etsi in Dialecticorum Scholis laudatam populo tamen & auditoribus invisam contraheret.

Corpus enim orationis, non *σκέλετος* formandum est. Quare nec amplificatio hos à prudentiâ præscriptos limites excedit, eâ enim ita utendum est oratori, ut rem, quæ in se magna est, argumentis talem esse, vel non advertenti, vel non opinanti auditori ostendat.

Debet enim amplitudo sententiarum & verborum sustentari amplitudine rerum. Quod nisi fit, inepta fit oratio, vel frigida evadit, qualis est, cum magnificis & sententiis & verbis res exiles ornantur: aut puerilis, cum ex adverso res magnas minutis sententiis & verbis effert.

Quæ duo vitia Longinus interdum confundit. Multo minus huc in dicendô frugalitati sublimitas adversatur, quam Longinus aureo libello descripsit, neque ab illa vel latum unguem discedit.

V. Primum quod in oratione celari ac dissimulari debet, ipsâ eloquentiæ ars ac Rhetoricæ artificium est. Ut enim nihil magis gratum est, quam quod sua sponte natum videtur, ac naturæ sequitur vestigia: ita
tædio-

tædiosum ac suspectum est, cujus singularis quædam
 industria pellucet. Dupliciter hîc peccatur. 1. scrupu-
 losa diligentia. 2. affectatione. Primò cum ars in spe-
 cialiora se diffundat, artifex ex illo cumulo ea seligere
 debet, quæ personis, rei, loco, tempori apta sunt. Quod
 si verò quævis ille arripit, omniaque, quæ dici possunt,
 cumulat, totum illud promptuarium suum exhaustu-
 rus, male sedulus ille erit, neque illam, quæ in tacendo
 consistit, eloquentiam satis assequetur: cum præstans
 orator ita se præceptis alliget, ut occasione ferente se,
 illis superiorem ostendat, ad usum potius rerum respi-
 ciens, quam in minutis illis rebus hærens, ac sapienti
 potius negligentia, quam obscurâ diligentia laudandus,
 Nihil ineptius in Oratore, quam *αὐτὸ τοῦ μικροῦ ἀσθδδζεν*.
 Utenim qui in Grammatices præceptis semper hæ-
 rent, nunquam Latine loquuntur (aliud enim Gram-
 maticè aliud Latine loqui esse ajebat Quintilianus) ita
 & anxia & morosa Rhetorices observatione nullus
 perfectus orator evadet. Sic in arte oratoria se exer-
 ceat orator, ut artificis prudentiam supra artem ipsam
 positam habeat, quæ nonnunquam celata & neglecta,
 plus artis habet, & plus in persuadendo efficit, quam
 omni tuo apparatu Rhetorica. Diserte Cic. in Orato-
 re *quandam negligentiam esse diligentem*, pronunciat. Ma-
 gnis scilicet animis, qui interiora rerum complectun-
 tur, familiaris est quædam negligentia species, qui o-
 missis minoribus, illa quæ magis rem attingunt,
 spectant. Exile verò ingenium, quod totum rei am-
 bitum uno obrutu non complectitur, ob judicii imbe-
 cillitatem, in particulis quibusdam ineptâ diligentia se
 fatigabit, & ut ille apud Venusinum Vatem,

B

Erm.



*Emilium circa ludum faber imus, & unguis
Exprimet & molles imitabitur. are capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nescit;*

cum tamen ex Quintiliani sententiâ, majori animo aggredienda sit eloquentia, quæ si toto corpore valet, unguis polire & capillum reponere, ad suam curam pertinere non existimabit. Obfignabimus hoc præclarâ Longini sententiâ: Tunc perfecta ars, cum naturam ita exprimit, ut natura ipsa esse videatur; rursus natura est successu felix, cum latentem in se continet & regit artem. Sequitur affectatio, quæ in omni orationis parte, argumentis, phrasi, periodo, sententiis, figuris se exserit, ac nimio se ornatu ostendat, atque ita vim orationis enervat. Quò præcipue respexit Aristoteles, cum Rhetor. lib. 3. c. 2. vers. 10. præcipit, ut artificium celemus, ne videamur fictè dicere, sed ut ipsa dicat natura. Sic enim, inquit, probabilis erit oratio, illò verò modo contrarium eveniet. Nam Oratorem, tanquam insidiatorem suspectum habent, non aliter ac permixta vina. Nihil magis artem, quam ipsâ artis affectatio vitiat. Hinc Demetrius Phalereus primus Athenis eloquentiam inclinasse dicitur, teste Fabio, lib. 10. cap. 1. quod plus artis affectaret, quam cui exprimenda par erat. Unde Cicero in Bruto, non tam armis, quam palastrâ institutum vocat. Quò vitio plerique veterum Sophistarum, apud Græcos, & dehinc Declamatores apud Romanos se obstrinxere, qui foro & usui publico natam eloquentiam inter pulveres scholasticos penè suffocarunt, & pravis præterea moribus corruperunt. Nam ad fraudes & versutias compositi verborum specie & pompa auditorum animos circumvenientes, efficie-

ficiebant, ut causa inferior & injusta fieri posset dicendo superior, quod Græci dicunt ἢ ἡτῶ λόγον κρείττω ποιῆν. Quam ob causam in invidiam apud omnes adducti, è regnis, urbibus & foro ipso ejecti. Accedebat quotidiana in his studiis ad inanem tumidamque loquacitatem in ludis exercitatio. Instituebantur extemporales *ᾠδαίσεις* & declamationes quasi theatriæ, laudationes rerum ludicarum & infamium, in quibus magis ad ostentationem, quam in cæteris comparata, omnia: (nam ornatum potius, quam πῶ ἐν θυμηματικῶν & παιδηλικῶν sectantur) consultationes, controversiæ fictæ: quibus inutriti discipuli cum in forum transferre vellent eloquentiam, velut alterum in orbem delatos se sentiebant. Unde mirum non est, illos ut præfligiatos, veteratores, deceptores omnibus bonis & cordatis fuisse invisos. Apud Romanos similes eloquentiæ scholas, ad fortuitam illam & temerariam loquacitatem instituerunt Græci, quos Censores, teste Cic. 3. de Oratore, *claudere jusserunt ludum impudentiæ*. Ab illis & præcipuè quidem à Gorgia *ᾠδοζολογία* in orationem invecta: nam in eò laborarunt vehementissimè, ut *καυὰ, πέρματα, ψεύματα*, adferrent. Verba seligebant mollia, meretricia, florida, sonora, quæ exquisitissimò periodorum artificio, velut circino quodam definiebantur. In illis & κρότος & ἦχος magna cura requirebatur. Nec defuerunt, qui vel Isocratem, quod in eorum usu intemperantior fuerit, reprehenderent. Quare in foro nihil suâ eloquentiâ profecit, quia ut Cicero de Orat. testatur, *non ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat*. Non immeritò ergò Socrate sapientioribusque irrisi sunt Sophistæ,

quorum volaticam & inanem eloquentiam plenissime in *suo teatro Rhetorum* detexit Cresollus. Operæ pretium est legere, quam graphicè Vir elegantissimus Balzacus *Oeuvres divers. disc. de la grande Eloquence* utriusque tam Regiæ quam Sophisticæ eloquentiæ characterem depingat.

VI. Ab arte in universum consideratâ ad partes ejus descendimus. Ut enim in totâ, ita & in partibus hîc peccari necesse est. Princeps inter illas est INVENTIO, quæ investigare argumenta docet, quæ triplicia sunt, *λόγοι, ἤθη, πάθη*, nam inartificialia nunc seponimus. Quod ad Logica sive doctentia argumenta attinet, ea velè locis Oratori & Dialectico communibus, velè propriis Rhetorum desumuntur. Communes loci cum à Dialecticis principiis arcessantur, oratorem Dialectices peritum requirunt. Nisi enim ejus peritiâ munitus orator sit, totâ oratione ineptum esse necessum est. Sive enim argumentis utatur, sive quid describat vel amplificet, omnes rerum *περίοδοι* hîc è fundo depromendæ sunt. Omnis orationis regula & verborum commune instrumentum logica est, quæ ut prima rerum analyfin ob oculos ponit, ita distinguere inter illa, quæ rei per se insunt, vel foris accidunt, sola docet. Absque quâ si fuerit, sine lege vagantur verba, vacillant argumenta, rerum ideæ confunduntur, omnia paralogismis plena, rationes vel longè petitæ, vel male cum rebus ipsis coherens, sensus inordinati, sententiæ precariæ & malè coagmentatæ. Quò vitio plerumque nunc peccatur. Sed eò tamen in iis judicio utendum est, ne omnes promiscuè locos excutiamus, aut omnes artis Lullianæ rotas & circulos in subsidium vo-

cemus,

cemus, ostiatim quasi petentes singula, dum quorundam
 sequimur vestigia, qui in Dialecticis *κρυπτοίσις*, cum
 pulvisculo omnia converrunt, aut in argutiis quibus-
 dam Chimæricis toti occupantur. Quales à genuinò præ-
 stantissimæ disciplinæ usu quàm longissime abesse certis-
 simum est. Unde Quintiliano *lib. 7, c. 3.* vehementer in
 oratione cavillatrix illa Dialectica displicet, ut quæ in O-
 ratoris officio nullum sit allatura momentum. Quos
 defectus cum deprehenderent nonnulli, in eas cogitati-
 ones inciderunt, ut locis illis Oratorem carere posse cre-
 derent, quæ sententia est Hamelii *lib. 3. de mente humanâ*
c. 2. Rectè quidem, si jam excocto & firmato in omnibus
 sit iudicio. Tirones tamen hac via ducendi, cum ipsi sibi
 semitam non sapiant, quæ exercitatoribus in arte sine
 ullâ difficultate, expeditissima est & in propinquò posi-
 ta. Qui verò hîc *επιχρησις* non noverit, neglectis probati-
 onibus, quæ è rebus ipsis ducuntur, ac potentissimæ
 sunt, levissimas & longinquas venabitur, quæ iudicium
 omne labefactant. Hinc infelices illi vagique excursus
 nascuntur, ac in locos imò logos communes toto se ple-
 rumque resolvit oratio. Idem vitium & Rhetorum pro-
 prios illos locos comitatur, si quis in illis delectum insti-
 tuere non novit. Et verò argumenta, quæ maximè per-
 tuadent, primò obvia sunt, nec magna cum curâ quæri de-
 bent, teste Aristot. *Topic. 1.* Qui verò ob ætatis imperiti-
 am, vel ob negotiorum multitudinem, illa quæ propiùs
 causas contingunt, à remotioribus non distinguunt, illi &
 hos locos sæpe in locos communes convertunt, & omnia
 argumento, non quæ debent, sed quæ possunt, applicant:
 sic se ex tempore commodiùs dicturos existimantes, cum
 tamen vera illa, si qua parari extemporalis in orandi fa-

cultas possit, in eo, Riccobono *judice p̄fati, in libr. de usu art. Rhetoric.* consistat, si *σῶμα τ̄ π̄σεως* statim in promptu habere discamus, & caput potius rei quam redviam curemus. Nam nisi causæ, & quidem illi, quam tractamus, ita applicentur hi loci, ut non illata argumenta, sed ex eâ effluxissè videantur, futilis incipit fieri oratio: vicina verò & proxima, cum primum incurrant in oculos, ut promptiore ingenio arripiantur, laborandum est. Quod indocti nonnunquam felicius, quam docti, turbarerum oppressi: si iudicio non pollent, assequuntur: in turbâ autem vis & evidentia fortiorum enthymematum suffocatur, ut dici de illis possit: *Ἀπώλεσας τ̄ δ̄ινον, Ἐπιχέας ὕδωρ.* Habebant autem olim locos communes in promptu oratorum causas acturi, ut, quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarentur, merito exagitati à Quintiliano lib 2. c. 4. *Necessum est bis, inquit ille, cum eadem iudiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant, velut frigidi & repositi cibi: aut pudorem, deprebensa toties audientium memoria infelix supellex: que sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus & diversis officiis conteratur: cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit coherere cum causâ, nisi aliquo propria questionis vinculo copulatus, appareat que cum non tam insertum, quam applicitum, vel quod dissimilis est ceteris, vel quod plerumque assumi etiam parum aptè solet, non quia desideratur, sed quia paratus est: ut quidam sententiarum gratiâ verbosissimos locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt autem speciosa hæc & utilia, si oriuntur ex causâ. Sedulo itaque hîc laborandum est, ne nervis ipsis non recte ductis tota fatiscat oratio. Adeo, quod in scribendo præcipit Horatius, etiam dicendi rectè sapere est & principium & fons.*

VII. Argumenta quæ rem ipsam sequuntur, excipiunt illa, quæ à personâ dicentis promanant, vocanturque *ἰν* Græcis, conciliantia Latinis. His sibi amorem Auditorum conciliat, sequæ moratum & erga auditores bene affectum ostendit orator. Hic quoque illud *μὴ δὲν ἀγαθὸν* sibi dictum putet, ne nimiam se commendatione suspectum reddat, quasi insidias auditoribus struere videatur. Plus hic sæpe in personâ dicentis, quam in omni alio apparatu situm est. Si autoritas ipsi insignis, vel à potentia vel sapientiæ & virtutis opinione sit, unô sæpe verbo plus persuaserit, quam sexcentis alii. Atque illud ipsum dicentis *ἰδ* ita in dictionem ipsam transfunditur, ut perpetua quasi animi lineamenta ipsi impressa sentias. Sanè *Messala stylo nitidus & candidus præ se tulisse etiam in dicendo nobilitatem visus est*, teste Quintiliano lib. 10. c. 1. Hinc virum bonum oratorem esse necesse est, quod tacitum quasi per ipsam orationem & vultum oratoris diffusum argumentum animos occulto quodam spiritu rapit: cuius quanta non naturalis tantum, sed & physica necessitas sit, pulchrè *Cordemoæus in libro suo de loquela p. 95. & seqq.* demonstrat. Hoc cum à sophistico charactere absit longius, nulla tam fucata & omnibus ingenii luminibus picta excogitabitur à Sophistis oratio, quæ cautis & sagacibus auditoribus os oblinat, vel eorum animis irreat. Atque hi oratores & poetæ intelligendi sunt, cum virum bonum, nec oratorem, nec poetam esse voluit Epicurus.

VIII. Quæ à personâ audientis ducuntur argumenta, *ἰν* vocantur ad movendos cum vehementia animos instituta. Hæc quoque in parte operam dabit orator, ut motus argumenti dignitati respondeant, extra quos limites

tes si ferantur, in præceps ruet inutile non terræ sed auræ
 pondus oratio. Nihil itaque frigidius, nihil ineptius, si
 in nugis tragedias agat, in simpulo fluctus moveat, ina-
 nibus exclamationibus guttur exerceat, fulmina spargat,
 procellas misceat, cum res ipsa humi repat. Vitium hoc
 à Theodoro, teste Longino *περὶ ὕψους* vocabatur *περὶ ὑψοῦ*
 σ. cuius appellationis hæc ratio est: quod non sit cujus-
 vis thyrsus sumere, sed ejus tantum, qui Bacchi numine
 instinctus rapitur, ut explicat in notis Tanaquil Faber, vel
 ut rectius Buchnerus de *C. D. R. c. 23. S. 4.* quod illâ voce no-
 tentur intempestivæ & inquietæ vociferationes, qua-
 les furentium esse solent, & qui thyrsus Bacchico percus-
 si sunt. Cæterum graphicè eò in locò *Sec. 2.* Longi-
 nus hoc vitium descripsit, quem vide. Prudens verò O-
 rator Timanthen pictorem imitatur, qui plus intelli-
 volebat, quam ille penicillo exprimebat. Est interdum,
 ubi oratoris vultus plus ipsis argumentis & figuris loqui-
 tur, ut, quod *lib. de pall. cap. ult.* ait Tertullianus: *Auditor*
Philosophus, dum videtur, de Oratore dicere liceat. Quam
 callidè & prudenter Cl. Cossus apud Tac. *Hist. I. c. 69. no-*
ta facundia, sed dicendi autem, aptâ trepidatione occultans, ef-
fusus lacrymis & meliora constantius postulando impunitatem
salutemq; civitati Aventico, mitigatis militum animis impetra-
vit! Quid prudens & ad affectus composita vox, cum o-
 rationem comitatur, efficiat, vel ex illustri illo exemplo
 de Lælio & Galba apud Ciceronem libro de *Clarior Oratori-*
bus patet, quorum ille eleganter & accuratè dixit, sed ju-
 dices permovere non potuit, usq; dum Galba vehemens
 affectuosâ bratione causam pervinceret. Eandem Vir-
 gilio vocis vim fuisse, notatum est. Scilicet ipse ille ora-
 toris gestus, *Φρόνις ὁμιλοῦν* & in auditorum animis perorat.

Elo-

Eloquentia illa muta, quam eloquentiam corporis Cicero vocat, loquenti juncta, vim orationis ita auget, ut quasi anima & spiritu illam vestire videatur. Isti enim oculorum, manuum motus animi præeuntis vestigia sunt. Imo compertum est magno cum applausu legati pronunciantis orationem exceptam fuisse, quæ scripta tota displicuit, cujus exemplum apud Marcellar. *de legato lib. 2. diss. 36.* memorabile occurrit. Omnino hæc monitum Zenonis oratori inculcandum, qui referente Stobæo *serm. 36.* adolescenti protervius garrienti hæc ingessit: *Nisi lingua in mente intincta differueris, multò adhuc amplius loquendo delinques.*

IX. Inventionem excipit DISPOSITIO. Ut enim nullum pulchrum corpus est, nisi sua quovis loco membra aptè sedeant; ut nulla domus bene exstructa, nisi partes ex architecturæ lege habeat ordinatas: ita nec oratio facta elaborataque est, si nec totius corporis neque partium sua sit *οικονομία* & *συμμετρία*; si membra membris non cohæreant; si partes argumentandi confusè & permixtè dispersæ totusque ille sermonis textus *ασυγκλωστος*. Etenim ut in verborum consecutione periodica singularis cura est, nec nisi longo usu & observatione, ac multà sub sagaci magistro exercitatione, disci potest: ita rerum & argumentorum, ordo mutuaque aptitudo multò majoris diligentia res est, quam ipsa inventio, quæ in mediocria etiam ingenia cadit, nec nisi frequenti usu, & autorum antiquorum commercio diuturno, & judicii sagacitate comparari potest. Sed accidit nonnunquam ut inutiles illæ ambages videantur; si quis in illis partibus inveniendis & aptandis operosè laboret, ubi res & materia diligentiam illam non admittit. Neque enī rus illud Martialis,

*In quo ruta facit nemus Diana,
In quo nec cucumis jacere rectus,
Aut serpens habitare tota possit,*

ean-

eandem subire mensuram poterit, quam campus aliquis, quem non miluus oberret. Ut reprehendendi omnino sint, qui in qualibet epistola, in quolibet carmine, omnes justæ orationis partes, aut in argumento omni, omnes thematis simplicis & compositi modos, quos nimis operosa quorundam diligentia excogitavit, anxie & laboriose ad ipsas usque minutias persequuntur. Quotidiana hæc in re, in cathedris, in scholis errata eorum sunt, qui nullum orationi modum ponere noverunt, nunquam, quod periti facere artifices debent, totum operis systema animo complexi, sed in unâ alteraque parte *ωβίεργον* & strumosi, reliquo verò corpore trunci & mutili. Quas in partibus orationis *ωβίεργον* cum damno; non probo ramentum Laconicam illam abruptam breviter, quæ unâ alterâve periodô, imò verbo, orationes & epistolas absolvit, propiusque ab ipso silentio abest, quas quorundam virorum doctorum industria uno volumine collegit.

X. In ELOCUTIONE, quæ tertiam Rhetoricæ partem constituit, infinita sunt errata *εχεινθία* plusquam Pythagoricâ coercenda. Illâ enim parte, quæ in verbis & sententiis consistit, maximè in aures influit oratio, ut & indoctis, qui ingenium in oculis & auribus circumferunt, observari illa vitia possint, cum cætera non nisi sapientioribus advertantur. Etsi nonnunquam inveniuntur, qui ipsis his vitiis delectantur. Potest verò, ut ad pauca redigam, hujus argumenti vastitatem, vel *κατὰ τὸ ποσόν*, ratione copia, vel *κατὰ τὸ ποιόν*, ratione ornatus considerari elocutio. Si prius; hîc peccatur, cum inmani verborum & circumstantiarum diluvio argumentum pene suffocatur & inventosam ac Asiaticam loquacitatem abit oratio, expolitionibus, pleonasmis, plagiasmis, periodicis circumductionibus omnia implentur, ut toties reciprocatò spiritu vix
trans-

transmittere illa possit orator: auditor vel lector in istâ sylvâ peregrinari sibi videatur. Quorum exemplum e recentioribus *Johannis Baptiste Evangelista Piceni* orationes exhibent, quæ per integras paginas periodos producunt, tot synonymorum epithetorum, *κατασκευαστων* comulatione, *λοquacem ut de-lasare queant Fabium*, in immensum porrectæ. In ornatu varriè impingi solet, cum verba adhibentur, figuræ, sententiæ, non domi natæ, aut ex re ipsâ ortæ, sed foris arcessitæ, metaphoris, allegoriis, longinquis frigidisque sensibus vestitæ, quæ cum parsimoniam orationis præ se ferunt, longè illam laxiorem, turpiterque disinctam efficiunt, & quæ omni Astitis mo sit loquacior. De quâ merito illud Senecæ usurpes, quod ille in Mæcenatem dixerat, esse *eloquentiam ebrii hominis, involutam & errantem & lascivie plenam*. Sophistarum illi colores olim erant, quos sanior eloquentia, ut meretricios, ad deformandam vivam illam vegetamque faciem inventos semper respuit, quos subinde tamen fastidiosa secula, ut à moribus ita & ab oratione seriâ & masculâ in luxum & imtemperiem degenerantia, per vices quasi resumpserunt: ut & nostro tempore, primum à *κατασκευαστων* literarum superioris seculi in eloquentiâ nitorem, nonnulli in Italiâ novâ hâc peste afflaverint. Nam relicta regiâ illâ & *λεωφόρω* viâ, ad præruptam, nescio quam & confragosam dicendi rationem, se contulerunt: cum omnia precariis, frigidisque argutiis, erutis ex abdito sententiis, quæ non, ut Philosophus vult, velut ex syllogismo & enthymemate oriebantur, sed puerilibus & præter necessitatem frequentatis, quibus præterea sonoræ figuræ, velut cymbala quædam & crepitacula appenderentur, omnem orationis habitum investire cœperunt. Quo penè factum, ut altera illa genuina eloquentia, tota conticuerit, Tulliusque cum omni aureæ ætatis familiâ in exilium ire

iusus fuerit. Qui morbus ne nunc quidem per sapientiores magistros evelli quorundam animis potest. Actionem adversus hos corruptores (ut Quintilianum præteream, qui suo jam tempore illis dicam scripsit) & eruditam & veteri eloquentiâ dignam Albertus ab Albertis instituit: & doctissimus Vavassor laudari hîc meretur, qui tum singulari oratione, tum toto de *ludricâ dictione* libro populares suos delirantes in ordinem redigere voluit. Quò postremo illos præciquè exagitat, qui dictione allegoricâ sordida *Burlesque* dictâ, velut novâ quâdam è sterquilinio natâ Venere orbem beare voluerunt. Verùm tantum abest, ut indulgere bullatas has nugas sobrio oratori velim, ut inconcessis etiam deliciis frugalem & modestum requiram qui ex Horatii monitò, *ambitiosa recidat ornamenta*, & intrantiquæ castitatis, & accuratæ, sed sine molestiâ diligentis, elegantiæ limites subsistat. Vel ipsa Præteritionis & Reticientiæ figuræ, quæ mirificè rem amplificanc, & suspicionem rei magnæ in animis eruditorum relinquunt, ostendunt plus cogitandum nobis, & cogitationi auditorum relinquendum, quàm verbis effertur.

XI. Porro cum infinita sint, ad quæ orator respicere debet, ut personis, rei, loco, tempori apta sint omnia, ad eò circumspectum hîc esse convenit, ut nil admittat aut dicat, quo in prudentiæ leges impingat. Nam ubi ars illum destituit, prudentia in subsidiurn vocanda est, quasi Helicæ quædâ & cynosura rerum, quæ ipsum per omnia inoffenso pede circumducit, cum ad singularia ars ipsa se non extendat. Vel in solâ eloquentiâ forensi quanta rerum & circumstantiarum varietas! Nam Quintilianus ita de illâ lib. 10. c. 7. *Ut gubernaturis ad incursum tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda.* Ridebitur itaque, quisquis hîc accommodare verba rebus, & prudenti in silentio tempe-

27.
temperare eloquentiam nescit, oratoris inepti elogium
reportaturus.

Quis nisi mentis inops tenera declamet amica?

Poëta aiebat, aliâ enim eloquentiâ illic opus est. Similiter
in ipsis rerum civilium momentis, cum milites in pugnam
armandi, cum in Rep. de rebus gravissimis consultatur,
quis ferat ineptam aliquam Critici aut Sophistæ oratiun-
culam? qualem pro ingenii sui festivitate excogitavit O-
stavius Ferrarius in Prolusione suâ III. cui titulus suppetiæ
Criticis lata. Nam si fortè urbs aliqua obsidione cingere-
tur, & de salute supremâ in medium consulerent Patres,
ille sententiam dicere jussus, ita fortè sermonem institue-
ret: *O cives, cives, perimus. Hostis habet muros. Veteribus non
hostes, sed perduelles dicebantur, ipsumque bellum duellum. Porro
muros, & mæros mœnia dixere à muniendo & pomarium, quod
post sive pone mæros esset, quod omni cultu vacuum purumq; fuit.
Quid autem vobis in re tam crepera agendum sit queritis? Si bel-
lum inferetis, ipsi conferem prius Fœciales de more cum patre pa-
trato mistendos, ut res repeterent, hastamq; jacerent. Sed quis
illatum propulsatis, eum auctor vobis sum, ut caduceatorem cum
insulis mittatis, hunc autem à caduceo dictum scitis, quæ virga Mer-
curii Deorum internuncii fuit. Si in pertinaciâ nihil profutura
persistatis, peribitis cuncti. Hostes enim vel urbem corona cin-
gent, vel pluteos ac vineas admovebunt, catapultis, ballistis, ac scor-
pionibus res agetur. Urbs deripietur, & ea sequentur quæ mens
referre horrescit, eorum imaginem apud Virgilium, Liviumq; &
ceteros videre erit, in quibus ego ætatem contrivi. Quis non bel-
lum illum oratorum cum intempestivis his nugis explo-
deret? Quis non exhibilaret oratorem Hispanicam Men-
dozam in Regis Galliarum consilio orationem quam ha-
liebat, veluti lectionem aliquam Academicam habiturus
esset, in septem tractatus & unicum corollarium distin-
guen-*

quentem? quem teste Thuano *lib. 106.* risu exceperunt prudentiores. Quam inepta est illa Jacobi Spinolæ argutio etymologica e nomine Pontificis deprompta, cum Genuensiu nomine Alex. VI. gratularetur, quæ gratulatio in gratulatoriarum orationum Syntagmate p. 50. habetur. *Si igitur ad tanta dignitatis magnitudinem primo loco exornandam, ipsius vim nominis considerare liceat; Pontifex alio nomine Papa nuncupatus utriusq. vocabuli exitu rei vehementiam ac potestatem indicat; tum quod Papa interjectionem Papæ admirabilem sonet, tum quod Pontifex maximus, Scaevola autore, à posse & facere, Isidoro vero, quod ad cœlum pontem faciat, interpretetur.* Quæ sequuntur de Imperatoribus, Regibus, Ducibus, ejusdem farinae sunt, & omnes stultè hîc adduci vident. Notum etiam nonnullis est, quid superiori ætate, viro alioquin doctissimo & in literis celebratissimo acciderit, qui à Batavis quondam ad Angliæ Regem missus Orator, hoc argumento ad fœdus cum Batavis ineundum inducere voluit, quod terræ ipsorum aliquando continentes fuerint, per vim autem tempestatis divulsæ. Hunc risu fastidiosa aulicorum indoles excepisse dicitur, utpote quibus scholasticæ illæ argutiæ nimis inspidæ visæ fuerunt. Plura ejus commatis, si instituti ratio pateretur, poterant hîc cumulari: sed illa ad inepti oratoris delicias referenda, quales lepidum aliquod ingenium non ita pridem in Germanica linguâ congeffit.

XII. Quæ in solutâ eloquentiâ leges oratori positæ, eæ quoque in ligatâ Poëtis præscribuntur. Neque enim ita quilibet iis fingendi, & audiendi potestas est, ut illa sine lege modoque feratur. Sua & ipsis inventio, dispositio, elocutio, de quibus hîc agendi locus non est: sed in quibus singulis variâ ratione & multiloquio & stultiloquio peccari potest, & eò magis quidem, quo plus sibi licere multi hîc autu-

autumant. Epicam & Dramaticam Poësin hic potissimum considerabimus, ut quæ imitationem illam Poëticam præ cæteris exprimat, & arcem Poëtices teneat. Sua est utrique Poësi Actio, Fabula & Episodium. His enim potissimum constant, quæ corpus poëmatis constituunt. Et si Epopœi & Tragedia κατὰ τὸ πρῶτον differant, majora enim in illâ omnia Actio quasi materia Poëmatis est; Fabula quæ est imitatio actionis secundum Aristotelem, ψυχὴ ipsi appellata, continet τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων. Illa Herois est, hæc Poëtae. Episodium est actio adjectitia, ex necessariâ quâdam connexionione cum actione primariâ conjuncta, ut doctissimus Mambrunus *de Epicocarm. part. 2. quest. 6.* definit. Qualia multa in Epicum carmen solent compingi, pauciora in Tragedias. Fabulae præcipua virtus unitas est, etsi πολυμερὴς esse potest. Cum enim actionis imitatio sit, unius est; cui si peregrina cum actione non connexa immiscentur, quod à multis fit, peccatum hæc in maximum est. Episodiorum quoque licentia non debet esse nimia, in quibus multum sibi indulgent, inter veteres Statius, ac inter recentiores Italos nonnulli. Cætera Poëmatis elocutio & dictio absolvunt. Hic Virgilii divinum ingenium non solum, sed & judicium admirari debemus, qui nullâ parte peccavit; cum infinita sint cæterorum Poëtarum errata. In indivisibih quasi perfectionis puncto poema consistit, ut nulla pars vel transferri vel subtrahi queat, quin totum illud varietur planeque immutetur. Omnia sunt in Virgilio summa: & Actio, & Fabula & Episodia, mirâ arte sibi respondent. Lucani Pharsalia cum ne fabulam quidem habeat, inter poëmata locum non invenit, quem non canere, sed latrare dicebat Scaliger. Quam in elocutione, vocibus, sententiis, descriptionibus, omnique ornatu modestus, frugalis & in istâ frugalitate ἐμπαλιμὸς Virgii.

Virgilius est! ut plurā cogitarit ipse, quam scripserit, plurā cogitationi Lectoris ipse relinquat. Quam in tempore ille ingenii impetum cohibeat, iudicii potius frenum, quam phantasiæ stimulos secutus, omnia argumenta loquuntur. Imprimis το ἐπισημαστικόν, & accurata Dialectices lineamenta in toto opere elucent. Descriptiones ejus, quam moderatæ, quam breves, quam efficaces! quanto verborum, quam inani profluvio cæterorum Poetarum descriptiones laborant! ut non Scaliger solum, sed & Buffiers in præfatione *Poematis de Scanderbego* & Alexander Rossæus in *Virgilio triumphante* ostendit. In expolitionibus ille parvus. Quam frequens Claudianus (nisi fortè illi ut Panegyristæ plusculum indulgendum) & qui è recentioribus hunc secutus est Barlæus! Apud hunc decem imò viginti versibus effertur, quod unò vel duobus expressisset Virgilius. Quare à castigatioribus sui temporis scriptoribus merito ejus loquacitas damnata est, cujus ingenium fœcundum quidem, sed nullis habetis regebatur. Operæpretium est, quæ Criticus nostri temporis consummatissimus Grevius de eò in præfat. comm. in *Florum* judicat, hic adferre. *Sæpe stupiditatem nostri sæculi sum admiratus, cum audivi, à plurimis, & qui sibi videbantur valdè sapere, Cassaris Barlei tanti carmina feri, ut cum optimis veteribus Poëtis compararetur. Ingenio nimium indulsit. Quantus enim in illò tumor, quantus optimè sonantium verborum ubique immanis strepitus. Ausim sacramento contendere, vix esse paginam, in Epicis præsertim, in quâ non aliquot versus reperiantur, sonori quidem & aures implentes, sed non animum, si illum attendas. Nulla enim subest sententia, qui istis possunt capi, non possunt Virgilio, Catullo, Horatio delectari, aut virtutes illorum præstantiamque intelligere. Si enim nosset, quam longè tumor abesset à sublimitate, nunquam hanc de Barleo ferrent sententiam, qui fatetur ipse, se non excellentissimos admirandum*

*tandum Poëtas sibi proposuisse, sed Claudianum, sui quidem temporis, Poëtarum omnium præstantissimum, sed sui temporis, quod ab aureâ plurimum degeneraverat antiquitate. Quid de cæteris fiet, si in hoc uno tot vitia deprehensa sunt? Imò fuerunt, quorum sagacitas in ipso deliciarum omnium magistro Ovidio declamatorias quasdam & superfluas argutias notarunt. Dramaticæ poësi accenseri quodammodo Bucolicum carmen potest, in quò quam Virgillii modestia & ἀφέλεια præ aliorum, loquacitate & ineptiis laudari debeat, ostendit summus ipse Poeta & Poëtarum Censor Rapinus in *Dissertatione de Carmine Pastoralis*, m. 124.*

XII. Vidimus de Eloquentiâ tam ligata, quam solutâ, quid in illâ ineptâ loquacitate peccetur, sine respectu ad materiam Tempus jam est, ut & aliqua, de illâ dicamus, quatenus certo argumento inservit, & ex usû publico spectatur. Duplex itaque est CIVILIS & EC-CLESIASTICA. De illâ primùm agemus. Civilis consistit vel in scribendo, vel in orando. Illa Historia est. Hæc pro variis functionibus in Republicâ varia. Si *δικαστηρίων* respicit, forensis est, in Advocatis: *βουλευτηρίων*, vel Senatoris, vel Legati est. Si statum Reip, bellicum, militaris. Singulæ species suâ quâdam indole constant.

XIII. HISTORICAMEloquentiam ut primo loco expediamus, duo in illâ attendenda sunt: Res, de quâ scribitur, & Elocutio, quâ scribitur. Illa veritatem & reverentiam comitem habet. Veritas requirit, ne quid vel dissimulet vel falsi narret, vel gratiæ tribuat. Eorum omnium moderatrix est prudentia, quæ præterea in causas atque eventus rerum intentum esse jubet, & in narrando *μικρόλογον* esse vetat. Illa si rectè observet &

& modum in iis teneat (et si sunt, qui planè omni iudicio Politico Historicum abstinere debere volunt) partes Historiæ pragmaticæ, qualem Polybius animo conceperat, implet: de quâ & doctè & prudenter Casaubonus in aureâ illâ super Polybium præfatione. Verum benè prospiciendum est, ne, ut sententiosi & acuti conjectores videamur, ea fingamus, quæ inter veras causas locum habere non possunt. Quod Tacito accidisse multi observant, & res ipsa loquitur: Quo nomine in acerbiorem Scioppii & aliorum, quam merebatur, censuram incurrit, qui Livium illi, nec fortassis injuriâ, in omnibus præferunt. Livium enim elegantissimè doctissimus Rapius alicubi vasto fluvio comparat, qui æquali cursu & impetu sonoro decurrat: Tacitum rivo abundanti, qui nonnunquam extra ripas feratur. Alterum illud *λεττολογίας* vitium sedulo ipsi vitandum est, qualem in Junio Cordo notat & ridet Jul. Capitolinus in initio vitæ Maximini, qui in vitis Imperatorum memorabat, *quoties processerint, quando cibos varia verint, & quando vestem mutaverint.* Talium minutiarum emblemata in Monachorum Chronicis reperias, ut gallinam peperisse ova duos vitellos habentia, pueros à lupis discerptos & similia, quæ cum sæpè contingunt, frustra in illis se tenet Historicus. Sunt & qui ipsum Livium ob supersticiosam prodigiorum memoratorem hujus vitii incusant, à quorum tamen sententia alienus sum. Elocutio quæ inter abruptam brevitatem & diffusam orationem media esse debet, variis corrumpi vitis potest. Sunt qui puram & auream illam Cæsaris *ὀφείλειαν* omni Historiæ ornata præferant, qui tamen inter commentarios, (quos Cicero nudos absque omnium orationis ornatu esse ait) & historiam

27.

riam non distinguunt. Alii narratores, alii exornatores rerum. Non debet luminibus suis spoliari Historia, quibus illa ad poesin, Quintiliano teste, accedit propius, quicquid contra arguetur Benius Livio inastix. Quare & concionibus & orationibus locus relinquere debet: quare de re argumenta in utramque partem videantur apud Vossium in arte historica c. 20. Paulum Benium de Historialib. 2. n. 4. & 17. Aug. Mascard, dell' arte historic. tract. 2. c. 4. & Paulum Piranum da Pefaro in additionibus ad Masc. Art. historic. sect. 2. Sebastianum Maccium de Hist. lib. 2. c. 29. Amplificationes tamē oratoriae excessu debent, figuræ vehementes, compositio periodica, atque universa illa dicendi forma, quæ causæ & actioni inservit. Ita Theopompi Chii dictio olim reprehendebatur, quod Isocraticæ oratoriae similior quam Historiæ esset.

XIV. FORENSIS eloquentia Ciceronis tempore alia facie, quam sub Imperatoribus, comparavit. Olim illa diffusior quidem verbis, sed & enthymematicus planior, & omnibus dicendi figuris ornatio fuit. Tota postea mutata est in declamatorum scholis, & succiplenum ejus corpus, in nescio quam maciem contractum est, cum abrupta brevitatis, cum argutiis subitanis & de industria quæsitis illi successit. Utrobique major quam opus erat cura interdum artis & verborum adhibita, quæ fidem causæ sæpe derogavit. Erit, ubi ipsum silentium plus loquitur, quam cultissima oratio. Quem admodum Pictor Agamemnonis dolorem in immolatione filiae expressurus, cum penicillo exprimere se posse diffideret, caput ejus obvolutum exhibuit. Ita oratori in causâ gravissimâ significatio sæpe major erit, quam

D 2

oratio

oratio, ut ait Cicero in Bruto. Luculentum sanè ejus rei exemplum apud Plinium est lib. 7. Epist. 6. Is Vareni causam agens, cui cum Bithyni accusationem ob rationes provinciæ male administratas intentatam remiserant, Fontejus tamen Magius unus è Bithynis intentare non cessavit, ad Macrinum scribit: *Assistebam Vareno & tacere decreveram, Nihil enim contrarium, quam si advocatus à Senatu datus, defenderem ut reum, cui opus esset ne reus videretur. Multum me intra silentium tenui. Accepi enim non minus interdum oratorium esse tacere; quam dicere: atque adeò repeto, quibusdam me capitis reis vel magis silentio, quam oratione accuratissimè profuisse.* Cujus ille exemplum eò in loco subjecit. Sæpe etiam felicior hîc extemporalis quædam dicendi audacia, quam omnibus artis præceptis instructa facundia. *Accidit enim, quod Quintilianus lib. 10. c. 3. notat, ingeniosis frequenter, ut labore consumantur & in silentium usque descendant, nimia bene dicendi cupiditate,* qui illic narrat Julium Florum, Julio Secundo, in finitæ curæ homini, qui per triduum in inveniendò exordio semaceraverat, dixisse: *Numquid tu melius dicere vis, quam potes?*

XV. Verum mittimus illud eloquentiæ genus, quod hodie mutatâ fori facie, pene in destitutum abiit. Regnat in subsellis SENATORUM gravissimum Eloquentiæ genus, quâ de causis publicis ac arduis deliberatur, cujus summa atque princeps regula est, quam Fab. lib. 8. c. 3 præscribit. *Non debet quisquam ubi maxima rerum momenta versantur, sollicitus esse de verbis, nam ubi ars ostentatur, veritas abesse videtur & ipsa materiæ sublimitas faciliè verba ostendit.* Hanc ob causam ipsè quoque Arist. lib. 3. Rhet. c. 1. v. 15. statuere non veretur:

29.

Τὸ αἰεὶ ἢ λέξιν δοκεῖ Φορηκὸν εἶναι καλῶς διαλαμβανόμενον:
*quod ad Elocutionem pertinet, si quis rectè reputet, totum leve
 & importunum videtur; Ibid. v. 17. Ταῦτα, ἕξω ἔξω ἀποδείξαι
 αἰετὸν ἔστιν, Cetera, quæ præter probationes adducuntur, su-
 pervacanea sunt. & lib. 1. c. 1. v. 6. αἱ πίσεις ἐν τεχνῶν μόνον, ταῖ
 δὲ ἄλλα ἀπερὶ ἡμῶν. Sole probationes ad artem pertinent, ce-
 tera appendices sunt. Eleganter itaque lib. 3. c. 12. v. 18. elocu-
 tionem deliberativi generis, umbratili picturæ similem
 facit, in quâ, è longinquo positâ, diligentia exprimendo-
 rum colorum, & quæ exquisita sunt, supervacanea &
 deteriora videntur, cum ars non conspiciatur. Alia ve-
 ro Principis, alia Ministri oratio. Illi autoritas partem
 persuasionis maximam occupat. Huic ad ingenium,
 rerum, temporum, personarum accommodanda est o-
 ratio, ne ipsi objici possit, quod in Claudio reprehendit
 Suetonius: illum non cogitasse: quis, inter quos, quodve tem-
 pore ac loco verba faceret. Ex ore ejus, ut Cicero in orato-
 re; verbum nullum, nisi elegans ac grave exire debet. Fugien-
 da tamen, eodem Cicerone monente, vel pragmatico ho-
 mini nimia concinnitas: neque in locos communes, à qui-
 bus politica eloquentia longissimè abesse debet digredi-
 atur. Sententiis gravibus potius & probabilibus, quàm
 concinnis utatur, & argutulo illo dicendi genere, quod è
 Sophistarum fontibus, teste Cicerone in Oratore, in forum,
 defluxit, sed quod spretum à subtilibus, repulsum à gravibus,
 planè abstineat. Quare omninò ἐπιὸς λεωφόρου βαδίζου,
 qui ad oratorem politicum formandum omnem illum,
 apophthegmatum, argutiarum, similium, emblemata-
 tum, historiolarum apparatus scholasticum afferunt,
 Delphinum sylvæ appingent es stultibus aprum. Rationes hîc
 omne punctum ferunt, non ornatus verborum vel figu-
 rarum*

D 3

rarum

rarum nimius. Nihil in aulâ magis sordet, quam quod Scholam sapit, cujus exempla supra §. II. adduximus. Scilicet *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius bircum.* Imò eò se demittet sæpe noster orator, præsertim quidpiam literis mandaturus, ut à dictione cultâ sibi temperet, & familiaribus illis loquendi formulis, ringente etiam Prisciano, & omni Grammaticorum senatu, adfuescat. Valet hic illud Æschyli; ἢ σγᾶν, ἢ λέγειν τῷ καίρια.

XVI. Præcipuè LEGATO ea lex dicta esto: ne quid temerè dicat, ac ineptâ oratione impingat. Meminerit enim non sibi se loqui orator, sed Principi & Republicæ, cujus ille sensum, vocem & spiritum repræsentat. Vel in unius hominis prudente & animosâ linguâ salus hæret Reip., ut exemplo Demosthenis constat, cujus ore stetit & adversus Philippi insidias se defendit Græcia. Hoc Legati charactere qui insignitus est, ut ab ipso Principe & negotio animos sumit; (observatum enim est, modicâ dicendi facultate per se instructos, autoritate tamen ipsâ nonnunquam persuasisse,) ita operam dabit; ut nihil quod à personâ dicentis vel audientis alienum sit, admittat. Præprimis brevis esto, neque nugamentis superfluis aures oneret, quibus negotium in discrimen adducatur. Testantur historiae, quomodo loquentes Samiorum legati à Lacedæmoniis elusi, qui ita responderunt; *prima sibi, quia remota excidisse; media, quia nimia, sine attentione effluxisse; ultimis verò se annuere non posse, cum catera non perceperint.* Similiter Abderitarum Rex loquaci Oratori responsum urgenti regessit: *Abi & te quoq; meam mibi Orationis partem præcipuisse, tuis nuncia.* Nihil verò facetius, quam historia illa de duobus Legatis Peruvianis, è quibus alter, cum ineptâ proli-

31.

prolixitate molestiam creasset Urbano V. Pontifici ægrotanti, idque collega animadverteret, ut hoc erratum emendaret, subjunxit: *sibi in mandatis datum esse, ut nisi brevi vultis potirentur, ipse quoque tam longam orationem depromeret.* Quo joco tædium orationis mitigatum, & quod petebatur, indultum fuit. Ut breviter & aptè loquatur legatus, præmeditatus dicat, & tum quidem, cum ad princeps negotium accedit. Præmeditatio orationis cum objiceretur Demostheni, qua si verba velut scripta loqueretur: *Omnino respondit: non enim scripta solum, sed sculpta si possim, dixero.* Ipse quoque Augustus, notante Suetonio c. 84. è scripto sæpe dicebat, *ne plus minusve loqueretur ex tempore.* Sed tamen & ex tempore, ubi opus, loqui sciat *promptè illà & profuente,* quam in eodem Augusto Tacitus laudat, *eloquentiâ ne commoda & mollia fandi tempora ipsi pereant, ac rerum præsidis, cum verba illum destituunt, destitutus videatur.* Præstat tamen omni temerariâ loquacitate brevitatis & silentium: nam secuta illa nec affectata eloquentia fidem dicentis auget. In brevitate plus pensitandum relinquitur. Ac est interdum, ubi abrupte sermonem utile est, ut majus aliquid restare credatur: cum verbosus nihil, quod dicat, reliquum habere videatur. Præterea si quid silentio peccatur, emendari potest, cum loquacitas & temeritas in dicendo nonnisi pœnitentiam producat. Cujus exempla plurima cumulat Vicquefortius lib. 2. de legatis eorumque functionibus c. 7. Videndus & Marsellus lib. 2. diss. 36. 37. 38. Multa quoque quæ ad prudentiam oratoris civilis pertinent Bœclerus in Dissertatione *de Eloquentia Civili* persequitur.

XVII, MI-



XVII. MILITARIS eloquentia, quâ Dux ad milites utitur, autoritate potius, quam nitore verborum & longâ oratione constat. Corbuloni Duci, cui *magnifica oratio non defuit*, ut ait Tacitus, *autoritas pro facundia fuit*, & Vespasianus quoque apud milites *militariter locutus*, eodem teste: neque Drusus etfi *dicendi rudis* milites seditiosos infeliciter allocutus est. Onofander in Strategico, & Leo in Tacticis hanc eloquentiam Duci commendat. Eandem in Julio Cæsare Suetonius laudat, quâ ille *inclinatâ acies saepe restituit*. Verum inepta hîc esset facundia certis regulis & periodicis dimensionibus definita, quam rei præsentis necessitas respuit; ut ridiculus videatur Homerus, qui Heroibus suis non modò inter se, sed & cum hostibus longas termocinationes, in mediis etiam periculis & subita omnium rerum desperatione, affingit: quâ in re prudentior Virgilius, qui nunquam extra iudicii hîc limites abit. Hanc prolixitatem quoque in Ephori Theopompi Anaximenis oratiunculis damnat Plutarchus. Mirum itaque non est unam vocem *Quirites* ore Cæsaris prolatam plus efficaciam habuisse apud milites, quam longas aliorum orationes. De illo Balzac. Oeuures div. disc. 1. *Les Soldats se fussent moqués d' une douzaine d' oraisons de Cicéron, & ils se rendent à une parole de César.* Idem in disc. de la grande eloquence Gustaphi Adolphi eloquentiam militarem mirificè extollit, & exemplum Henrici IV. adfert, qui sola illa, compellatione, *Faites comme je feray*, efficacius quam prolixo sermone milites in pugnam accendit. Et sanè ubi festinatione, alacritate, concitatione animorum opus est, loquacitate nimia potius obtunderet, quam exaceret animos: quemadmodum ineptus esset, qui milites ad pugnam



33.

pugnam per cantum animaturus, fidium concentum & molliores Musicæ modos, quam tubarum & lituorum acres & incitatos, brevibusque intervallis finitos, & in se redeuntes sonos adhibere mallet. Plura de hoc argumento doctissimus Naudæus in de studio militari lib. 2. sect. 3. n. 2. p. 487.

XVIII. Subjicimus Oratorix Civili ECCLESIASTICAM, quæ iisdem principiis superstructa est, quicquid etiam nonnullis videatur: etsi suo quoque à reliquis distincto caractere gaudeat. Nam cum, observantibus eloquentiæ magistris, tot eloquentiæ pene genera, quot causæ sint, & ipse Aristoteles lib. 3. c. 12. elocutionem deliberativi generis, ab elocutione demonstrativi & judicialis sollicitè distinguat: diversitas illa à civili in sacrâ quoque eloquentiâ agnoscenda est, quam pulchrè ob oculos posuit Francisc. Panigarola, ipse magnus eloquentiæ sacræ magister, in quæstionibus præliminaribus, commentarii super Demetrii Phalerei librum de Elocutione Italicâ linguâ scripti: ut ea quæ ad laudem hujus eloquentiæ studiumque ejus in Patribus pertinent, doctè pro more suo congescit Cresollus Mystagog. l. 2. c. 18. sect. 2. Hic vero unice notandum est, nihil magis orationem sacræ ornare, quam illam in tacendo eloquentiam.

XIX. Quare inter præcipuas orationis sacræ virtutes vel eam causam BRE VITAS est. Cum enim potissimam cultus divini partem constituent preces, hymni, lectio scripturarum, gratiarum actiones, & si quid præterea est hujus generis, his quasi appendicis loco in veteri Ecclesiâ accesserunt paræneses ad populum, sed breves, quæ intra horam, imo dimidiæ horæ spatio finirentur, ut sunt pleræque Patrum Græcorum & Latinorum homiliæ, quas hodie superstites habemus, quorum aliqui summâ eloquentiæ laude floruerunt, imo ipsam professi fuerunt. Diserte Basilus Magnus ostendit, suo ævo ultra horam non durasse has orationes. Nam sermonem in Psalm. 14. cum absolvi non potuisset, postmodum ea quæ restabant, novâ oratione complexus est, ejusque hanc causam subjungit: *Hesternâ die, inquit, super Psalmo XIV. sermonem apud vos habuimus, quem sub horæ spatio permisi non sumus absolvere: nunc*

E

AUTEM

autem ut certi debitores reliqua qua restabant libenter exsoluuntur venimus. Gregorii M. Leonis M. homilia intra horæ dimidium, facile finiuntur. Rationem ejus brevitatis pulcherrimam, supeditat Patrum Græcorum politissimus & eloquentiæ arte præcipuè clarus Gregor. Nazianzenus Orat. 40. in S. Bapt. init. *Sermonis fatietus est auribus inimica, non aliter atque cibus immoderatus & nimis noxius corpori.* Imo hoc in more positum fuit Patribus, ut in medio cursu, cum permotos suâ oratione auditores vel è lacrymis vel ex plausib⁹ eorum cognoscerent, illam abrumperent. De quibus aliisque præterea ritibus copiose egit Franciscus Bernardinus Ferrarius, singulari libro de ritu sacramentum Ecclesie concionum. Videri idem potest de veterum acclamationibus & plausu lib. 5. quo agit de Acclamationibus Ecclesiasticis, & Hildebrandus quoque de veterum concionibus cap. 3. §. 12. Omnino itaque valet hic Arabum Adagium: *Bonitas orationis in Brevitate,* & illud Pindari *ἄσπετος ἔνθα μανθάνει πικρὸν ἐκείνῳ σοφῶς.* Pauca in prolixis vario artificio sermonis edisserere, audito sapientibus grata.

XX. Ut in oratione Civili, ita & hîc OCCULTATIO artis necessaria, eoque magis, quo majorem sublimitas argumenti, omne illud humanæ eloquentiæ ὕψος excedens, & singularem quandam ac divinam in dicendo ἀφέλειαν & μαθηματικὴν requirit. Quod cum viderent nonnulli in eam sententiam parum cautè prolapsi sunt, quasi nullus esset eloquentiæ civilis in sacris usus, sed excludi omnino deberet: Cum, si quid hîc peccatur, non artis culpâ, sed artificis contingat, qui prudentia in præceptis eloquentiæ argumento sacro applicandis destituitur. Scilicet arte Rhetoricâ non aliter ut serperastris utimur, quæ abjicimus, cum nostris talis consistimus & latera totamque corporis compagem firmatam habemus Viri. Sed tamen occultatio artis non nisi per artem ipsam discitur, ut in Ictura, qui circino *συμμετρίαν* partium primum dimentus est Pictor, cum habitum illum jam consecutus est, melius absque circini usû pingit, res oculis exponens, non quales sunt, sed quales è diverso positu intuentibus apparent. Quare omni studio cavebit Orator facer, ne Sophista & Declamator videatur,

tur, quem plurimi nunc, quam veri oratoris titulum malunt. Meminerit Ecclesiastes aliam esse legati, quam privati eloquentiam. Illi enim cum præcipuam persuasionis partem constituat autoritas & rei dignitas, Ecclesiastes vero quasi Dei nuncius videri possit, qui voluntatem divinam auditoribus suis proponat, ita se alleget arti, ne quid argumentum suum dedecet: dedecet autem, si magis ex artis præscripto, quam ex ipsius rei argumentis loqui deprehendatur. Quod eum humani ingenii ingenii commentum non solum, sed præterea, etiam sophisticum quod ostendat, multum divinitati argumenti decedat, quod non in persuasibilibus humana sapientie verbis, sed in ostensione spiritus & veritatis consistit. Petri hoc monitum est: 1. Ep. c. 4. v. 11. *Εἰ τις λαλεῖ, ὡς λόγια θεῶν ἢ αὐτῶσι δοξάζηται ὁ θεός.* Ineptæ itaque hinc sunt Dialecticæ illæ nonnullorum in argumentationibus, divisionibus & subdivisionibus argutiarum, quæ cum à civili eloquentia relegandæ sint, multo magis hic exesse debent, licet illis occultæ nonnunquam utatur orator. *Frigidum fuerit, inquit Erasim. in Ecclesiast. lib. 2. c. a. apud populum inculcare, cum tamen interim his omnibus utatur Ecclesiastes, sed occultans artem, & ratiocinationum argutias sic explanans, ut multitudo sentiat verè dici potius, quam ingeniosè.* Memorabili hoc exemplo Patris Castellionis ostendit summus eloquentiæ civilis & sacræ censor Rapius, in libro Gallico, cui titulus *Reflexions sur l' Eloquence de la Chaire, circa finem*, quàm artis occultatio omnes eloquentiæ sacræ numeros absolvat. Ejus verba, ut Gallicè sonant, hic adducemus: *Sous une apparence de simplicité & de negligence il couvroit l'artifice le plus grand, qui ait jamais esté. Cette negligence mesme estoit accompagnée de tant de graces, qu'il charmoit toujours, parce qu'on estoit persuadé par sa façon de parler, qu'il ne pensoit à rien moins, qu'à charmer. Son souverain talent estoit, le secret, qu'il avoit trouvé de faire croire, que tout son art, estoit naturel: parce qu'il estoit caché sous la negligence la plus estudicée, qui fut jamais. Legit illic cætera possunt, quibus characterem illius viri describit.*

XXI. In INVENTIONE ipsâ multa ἀρρητὰ ἀμείνω occurunt, cum adferuntur læpè, quæ extra rem posita sunt, ac plane extra oleas vagantur, In ipsâ Thematum indagazione

nonnulli ingenii impetus, quam artis regulas sequi malunt. Nam vel propositiones speciales omniibus totius anni pericopis indistinctè applicantur, vel adeo generales illæ formantur, ut omnem totius Theologiæ fundum exhauriant, verbis textus utcunque eum in finem detortis, atque ita locis communibus omnia impleantur. Quæ etsi non incommode sæpè sunt tamen libri potius, quam brevioris sermonis res est. Vel propositio aliqua metaphorica textui simplici maximeque dogmatico infertur. Accedunt emblemata, nescio quem cultum peregrinum spirantia. Quot sit, ut non argumenta rebus, de quibus dicitur, ut fieri æquum est, sed themata locis communibus serviant. Quæ omnia è Dialecticis illa & Rhetoricis ἀπειθευσία, apud homines cæteroquin doctos & ingeniosos oriuntur, cum ingenium & eruditionem ex ornatu ostentare malunt; quàm ex argumentorum nervis & robore ostendere prudentiam, quæ sola animi fundum penetrat; cum cætera in auribus hæreant, & solâ novitate placeant. Et verò, ut perpetuus rerum inter se analogismus est, ita ingenioso homini facillimum est quidvis de quovis dicere, atque ita aptare, ut & concinna & arguta videantur, ac placere auditoribus, etiam eruditis possint, nam horum gratia plerumque talia fiunt. Verum alia fiunt quæ oratorem sacrum decent & ornant. Vidi, qui omnes totius anni pericopas vel ad flores, vel ad gemmas, vel ad historiarum Indicarum rariora dirigerent, intemptivo & theatro hoc apparatu populo delicias facturos, quos divinorum argumentorum majestate dignòque illis eloquio commovere debent. Quorum institutum non ablutere ab illorum more videtur, qui calendaria nunc scribunt, iisque novos jam è medicinâ, jam è culinâ, jam ex artificialibus, & omnis historiæ genere titulos conquirunt. Sed quocunque etiam ingenio illa incrustentur, quibuscunque etiam coloribus pingantur, (sunt enim qui acutissimo in illis versantur ingenio) ἀτεχνῶς tamen omnia sunt, quoniam extra veræ eloquentiæ fines posita, & ut strumæ quædam τὸ σῶμα τῆς πρῆξις deformant, ejusque succum & vim extinguunt. Neque sanè cathedra sacra ut icena instrui debet, in quâ voluptatis magis quàm usus ratio habetur.

XXII. In argumentis primum occurrunt ΛΟΓΟΙ five docentia. Ea è locis communissimis, communibus, & propriis tam Rhetorum quam eorum, quæ Theologia illis subordinatæ, ita desumenda sunt, ut oratoris illa prudentia omne hîc punferat. Nam Enthymemata hîc more oratorio formari posse, pulchrè exemplis demonstravit Franc. Panigarola comm. in Demetr. Phaler. part. 1. particell. 23. Quare id præcipuè cavendum est, ne intemptivo alienarum meditationum usu nostri iudicii robur enervemus. Illi enim qui alienis uti malunt, quam suis, suum genium exuunt, ut alienum quem non habent induant. Non possumus aliorum meditata nobis accommodare, nisi illa in nostra quodammodo transfigurentur. In mysteriis verò proponendis ita olim versabantur Patres, ut hâc quasi præteritionis formula uterentur: *Hoc fideles norunt: τὰ τοῖσιν οἱ μεμνημένοι.* Malebant enim sacro quodam silentio uti, ne nondum initiari aut cæteri homines illa, quæ non intelligebant, contemnerent. Accensentur docentibus argumentis, quæ ad ἄλεγχον pertinent. Hîc verò, si usquam illud Plurarchi valet: *σοφὸν ἐνικαιρῶσιν γῆ καὶ πᾶσι λόγος κρείττων.* *Tempestivum silentium res est sapiens ac quavis oratione potior.* Nam si doctriam spectes, quantum ex intemptivâ & immaturâ reprehensione, è vocum novitate malorum in populos serpsit! quæ non hæreses & schismata inde exorta! Quod illa simultatibus odiis, cadibus, bellis ansam dedit, quorum multa apud Vedellium in aureo plane libro, *de prudentia veteris Ecclesie, Proleg. c. 6. & lib. 3. c. 2. & 4.* ac passim notata videntur. Adde & Gregor. Nazianz. Orat. 26 de moderatione in disputationibus servanda. Si morum emendationem spectemus, eâ hîc modestia esse convenit, ut, nisi tubera offendant, verrucis ignoscamus. Qui hîc vel naturæ, vel ætatis vitio, vel rerum civilium imperitiâ peccant, nimis quam decet, *Φοῖβου*, cum vel *prave scilicet stomachantur ob unquam*, plus destruunt, quam ædificant, & de iudicii sui, imò & charitatis opinione apud auditores detrahunt, quæ omnibus Angelorum & hominum liguus potior est. De his elegantissime Rapinus in libro supra laudato §. 26. *Ontraite in di n mem la parole de Dieu, de la reduire à des amplifications pueriles de*

petits su jets, & à de pures bagatelles, dans le grand nombre de matières importantes à traiter, que peut fournir nostre religion. Comme font par exemple ces petits Predicateurs, qui font les zeles contre les mouches, les garnitures, la coiffure, & les autres vanitez des femmes. Pleraq̃ illa orationū sacrarum argumenta è genere deliberativo, rarius è demonstrativo genere petuntur, et si vel maximè suppeditare text^o videatur. Quare prudenter Phil. Melanchthon. lib. de off. Concionatoris part. 2. operum fol. 3. suadet excludendas ex ecclesiis orationes illas, in quibus Christus ita prædicatur, tanquam in declamatione Camillus aliquis aut Themistocles, eamque ob causam Nazianzenum & Chrysofomum reprehendit, qui nonnunquam ut in ludis declamant & Christum laudant, cum oportuisset non de Christi factis, sed de consilio dicere, & quid credere quid sperare no voluerit Christus ostendere. NON in oratore sacro plusquam alia argumenta præstant. Nam si Orator Civilis, Vir bonus; multo magis pius & humilis nosster esse debet. Plus sincera pietas, etiam cum silet, loquitur, quam speciosa argumenta. Sic de P. Suffrenodio Rapius l.c. § 22. ait prius illum persuasisse, quam ullum ore verbum proferret. Quæ vis propemodum magica est. Magiæ certè partem Campanella Rhet. c. 3. art. 1. facit Rhetoricam. Quare si prava de oratore opinio animos auditorum occupaverit, omnes ut hypocritam, qui in theatrum venerit, aliam quam ipse ferret personam sumpturum averfabuntur. Nec in ΠΑΘΕΙΝ extra orbitam feratur, ne in παρὰ τὸ ὄραον incidat. Et solet plebs inani figurarum strepitu, soloque dicentis accentu & actione moveri, cum nec alias facile afficiatur animus, nisi tumulti in sensibus excitato. His placere possunt declamatores tales, qualibus nescio quis hanc concionandi regulam præscripsit: *Percite cathedram | fortiter, respice crucifixum torvis oculis, & nihil dic ad propositum, & pene predicabis.* Est ubi argumentorum amplificantium | magnus usus est, ut ostendit Hyperius de form. conc. l. 1. c. 15. Carbo Rhet. divl. 4. c. 1. 2. 3. In figuris, tamen amplificationum | parciorem esse convenit, ne fastidium gignant. Actio quoque comitabitur argumenta, sed quæ à scenica & civili discrepet. Modestia enim argumenti omne *Φασηνὸν* excludit.

XXII. E DISPOSITIONE quoque Oratoris sacri elucebit prudentia, si ita partes tribuat, atq; coſectat, ne vel *βραχίφα* λ⊙ vel *μεινε* ⊙ fiat oratio. Præcordia ſolem nominis divini invocationem, ut excitaretur pietas & attentio auditorum, olim continebant. Quibus ſi peregrina immiſceantur, pietatis ardor retunditur. Non ſine cauſa itaque Rapius *lib. laudat. ſ. 27.* pomparica (ut vocat) præludia, de concupiſcentiâ, peccato originis, gratiâ, aliis que locis communibus improbat. Ipſorum Exordiorum (quæ interdum omittuntur) in Patrum homiliis mira brevitatis: nam periodis aliquot abſolvuntur, neque ſeparatum thema continent. Ut mirum ſit, reprehenſum aliquando, ob productiora ſermonum initia fuiſſe Chryſoſtomum, qui publicè gratias monenti egit, *princ. ſerm. de ferendis reprehensionibus hom. 9. de laud. D. Paul.* Quis ferat itaque morem nonnullorum, qui è capitibus librorum Biblicorum ordine illo, quo ſe inſequuntur, exordia ad pericopas totius anni Evangeliorum obtorto quaſi collo trahunt? Infelix orator, qui ut cantherius in porta titubat, aut navem dum è portu egreditur impingit. In ſingulis porro membris argumentis & partibus ita ſe geret orator noſter, ne finium regundorum iudicio opus ſit, aut ſuperſtitioſa ipſi ſit, vel nulla diligentia.


XXIII. ELOCUTIO etſi, ut in oratoriâ civili, ſupervacanea eſſe videtur: ſciendum tamen ſingulare hic dicendâ *⊙* eſſe, cujus character è Prophetis, Apoſtolis, Pauli imprimis Epistoſis, hinc Patrum Græcorum Baſilii, Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni & quorundam Latinorum ſermonibus ducendus eſt. His nos Germani, Viri ſummi Martini Lutheri ſermones ſacros addere poſſumus, quibus magnus eloquentiæ ſuccus & ſpiritus ineſt, etiam cum omnem cultum abieciſſe videtur, & paucos præterea alios, præ quibus facile aliquis cymbala illa & ara tinnientia contemnat. Verè enim, quod ſuo tempore Quintilianus lib. 4. c. 1. dicere poſſumus. *Veterum ore a occultandâ eloquentiam ſimulatio multum ab hæc noſtrum temporum jaſtatione diverſa.* Præprimis verò tota illa Dictione & Elocutio Biblica, tum qua ſimplices phraſes, periphraſes, ſententias: tum, quæ adagia, ſimilia, metaphoraſ, figuraſ in ſuccum

cum sanguinemque vertenda: In his ὁ ψ̄ illud reconditum est, quorum particulam exiguam è verbis Mosis Ἰσὴος, Φῶς καὶ ἐγένετο Longinus mirificè laudat. Verum, in Prophetis non solum illud Longini ὁ ψ̄, sed & omnes illas Hermogenis ideas observes; in Esaia sublimitatem: in Jeremia σφοδρότητα; in Ezechiele, σεμνότης & τραχύτης, in Daniele teneritudinem, in Cantico Canticorum γλυκύτης, in Psalms Davidis omnes Poëtici & soluti sermonis elegantias: ut itaque quicquid humana industria sparsim excogitavit, in divinâ eloquentia, cumulatam videatur. De novo fœdere valet illud ipsius Salvatoris: *Verba qua locutus sum vobis spiritus est vita sum.* Job. 6. Paulinæ eloquentiæ artificia extollit Rittershusius S. L. lib. 4. c. 13. Scoreas itaque auro immiscent, qui peregrinum sententiarum, argutiarum, emblematum, allego- riarum (quarum usum reprehendit Erasmus in Eccles. lib. 3.) historiolarum è profanis autoribus apparatus, laboriosas allegationes orationi sacræ inferunt. Qui cum flores quærunt, fructum rerum perdunt. Fuere inter partes alioquin eloquentissimi, qui omnes latinæ linguæ elegantias exuerunt, rustico sermone, barbarismis & solecismis scatente usi, ut populus intelligeret, neque tamen sacræ eloquentiæ gloriam amiserunt. Cujus specimen in Arnobii sermonibus super Psalms luculentum est, super quos legenda est aurea Erasmi præfatio multa hujus argumenti continens.

XXIV. Multa nobis dicenda superessent. Sed abrum- penda tandem est hæc dissertatio, ne qui eloquentiam in tacende proponimus, ad versus illam hic peccasse videamur. Illam ita hic recolamus, ut quæ solius VERBI est, & circa ῥήματα ἐπίτα versatur, eloquentiam in cœlis aliquando discamus.

F I N I S.





ULB Halle

3

002 424 312



VD17

TA-12







B.I.G.

Farbkarte #13

1687

B

D. B. V.
ERTATIO
De
UENTIA
CENDO.

Quam
RESIDE
BORGIO MORHO-
& Histor. Prof. Fa-
hodie Decano.

*de omni observantia cultu
colendo.*

A HOLSATORUM,
KilonI est,
N-ALBERTINA.

λογιστων disquisitioni
antuar. subjiciet
IS HARDUICI,
Theol. Stud.

ilonI,
eumanni, Acad. Typogr.
anno 1687.

